



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Quo jure Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ jurisdictione, & potestare seculari, num positivo tantùm seu humano, an etiam divino & naturali?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ipso jure amittunt privilegium fori, & fori secularis fiunt; si tamen per sententiam judicis Ecclesiastici declaretur incorrigibilitas, & actu tradatur potestati seculari *c. Cum non ab homine 10. de iud. § c. Ut fama 35. De sententia excommunicationis*

Tertiò, si se immisceant enormitatibus, sive multa enormia delicta committant, privantur ipso jure fori privilegio Clerici, quamvis in sacris constituti sint, saltem post trinam monitionem Episcopi, & ut aliqui putant, post degradationis realis sententiam, & actualem traditionem seculari Magistratui factam, quod conformius juribus est.

De aliis casibus, in quibus Clerici perdunt privilegium fori, vide *c. Vincum De vit. § honest. Cleric. in 6. § Clement. 1. eodem c. 1. De homicidio in 6. c. 2. De penis in 6.* Et quamvis qui judicari non potest à seculari Magistratu, nec ab eo capi possit, & in carcerem conjici, sunt tamen plures etiam casus, in quibus secularis Magistratus etiam Clericos capere potest, non obstante fori privilegio, quod contra talem captam nihil illis patrocinatur: Sic primò capi potest Clericus à seculari Magistratu (ex tacita saltem commissione Magistratus Ecclesiastici) si in delicto deprehensus fuerit, aut debita gravia contraxerit, vel gravi injuria Laicum affecerit, &c. & de fuga suspectus sit, non ut ab eo puniatur, sed ut suo Magistratui Ecclesiastico puniendus tradatur. Secundò, ut præveniatur delictum committendum, ut si de nocte armatus incedat, & suspectus sit de homicidio committendo. Tertiò, quando expressum mandatum habetur

ab Ecclesiastico Magistratu, ut ob delictum commissum capiatur Clericus. Quartò denique quando impunè verberari potest à Laico, *juxta c. 3. De sent. exco.* In tali enim casu etiam capi potest. De eo tamen, utrum quis Clericus sit, si hanc exceptionem ad forum declinandum opponat aliquis, cognoscere debet judex Ecclesiasticus, uti etiam, si quis fraudis arguatur in assumendo, aut resumendo statu Clericali.

§. V.

Quo jure Clerici, aliæq; personæ Ecclesiasticae sint exemptæ à jurisdictione, & potestate seculari, num postivo tantum seu humano, an etiam divino & naturali?

Qui Clericos & alias personas Ecclesiasticas jure Divino & naturali exemptum à Laica potestate, & jurisdictione, multi sunt, & non levia fundamenta habent suæ opinionis, non tantum ex antiquo testamento, ubi Levitarum tribus nulli alii tribui subdita fuerat, sed soli Aaroni, & successoribus Sacerdotibus summis, &c. sed etiam ex novo *Matth. 23.* ubi Christus seipsum, & Petrum à solvendo tributo eximi putat, &c. & ex jure Canonico *c. Quamquam 4. De censib. in 6. & ex Trident. sess. 25. c. 10. De rescriptis.* Et ex ratione denique, eò quòd personæ tales sint in sortem Dei segregatæ, in ergò alia inanimata, in ministerium Dei peculiariter selecta, uti sunt sacri Calices facta Altaria, Tempa, & vasa alia Altari ministerio dedicata, à profano usu, & civili dispositione exempta sunt de jure naturali & divino, cur non etiam personæ Eccle-

Ecclesiasticæ? His tamen nihil obstantibus fatetur quidem communior sententia, originaliter juris Divini esse hanc Clericorum exemptionem, eò quòd scilicet Deus dederit Summo Pontifici hanc eximendi potestatem, & satis certum esse, quòd in rebus merè Spiritualibus & Ecclesiasticis exemptio hæc sit juris Divini formaliter, & immediatè; Clericorum tamen & talium personarum Ecclesiasticarum exemptionem formaliter & immediatè juris esse positiivi humani, tam Canonici, quàm Civilis; tum quòd potestas circa Ecclesiastica & Spiritualia immediatè à Christo data est Summo Pontifici, sicuti potestas politica in ordine ad temporalia à Republica datur Principi: tum quòd utriusque iuris textus hanc exemptionem Clericis tribuant, & non in primitiva Ecclesia, omnis anima juxta Apostolum sublimioribus potestatibus (secularibus scilicet) subiecta fuerit, sed ipse etiam Apostolus ad Cæsarem appellaverit, tum quòd Pontifex etiam hodie possit minuere, aut extendere hanc exemptionem. Neque argumenta contraria efficaciter intentum probant, cum antiqui testamenti leges judiciales & cæremoniales hodie non amplius valeant, & novi Testamenti verba de Filio Dei ab omni potestate humana exempto intelligi possint; Sacri verò Canones, & Tridentinum satis explicentur, si originaliter Divini juris hæc exemptio dicatur esse, vel saltem si dicatur talis exemplatiter facta ad antiquæ legis exemptionem, non quidem immediatè à Deo, sed à Summo Pontifice; Ad rationem denique responderi potest, nihil eà efficaciter probari, cum vel de rebus

Fishing. Compend.

consecratis procedat, quibus ratione consecrationis major reverentia debetur, vel de rebus non consecratis, & par erit dubitandi ratio: quia tamen nec secundæ sententiæ argumenta efficaciter aliquid probant, videntur priori, quæ Clero favorabilior, & communior est inter Canonistas, sua major probabilitas non neganda.

§. VI.

An, & quando Archiepiscopus sit iudex competens inter subditos Clericos, vel Laicos Suffraganeorum, vel non sit?

Non potest Archiepiscopus causas Neorum, qui suis Suffraganeis subditi sunt, si per appellationem à Suffraganeis ad se devolvantur, cognoscere, nisi prius de appellatione cognoscat, num legitima illa, an frivola sit. *C. Romana l. h. l. in 6.* Neque potest etiam querelas audire super salariis Advocatorum v.g. in causis per appellationem ad se devolutis, ne videatur jam sibi in talibus causis atripere instantiâ, quod facere non potest; & quamvis cogere non possit immediatè subditos suorum Suffraganeorum, ut delegationem causæ alicujus suscipiant, vel præcepta sua aut sententiam exequantur, aut in causis per appellationem ad se devolutis, testimonium perhibeant, aut ut super contractibus à se, vel suis officialibus auctoritatem accipiant, aut forum, nisi consuetudo recepta aliud obineat *juxta cit. c. 1.* cum non habeat jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum, nisi in certis quibusdam casibus, quales isti non sunt; potest tamen suo Suffraganeo ob jurisdictionem in hunc

I i . man-